

ab illis reipublicæ noceri possit. Legatus Constantino col-
laudato, quod tanta secum de re sermonem habuerit, ni-
hil sibi spei esse reliquum dixit, posse se ad id perducere
Senatum: sed quæ ab eo cognoverit, uti ad Decemvi-
rum magistros quamcelerrime perferantur, se curaturum
pollicetur. Decemviri, qui jam de fœderis conditionibus
aliunde cognoverant, neque oppida illa ab se dimittere
ullam ob causam in animum induxerant, nihil omnino
ad legatum, qui ad eos literas dederat, iis de rebus re-
scripserunt: sed ad Maximilianum, de quo porro ad eos
afferebatur, posse illum adhuc quidem ab amicitia Aloisii
regis abstrahi (nondum enim eam rem ob vetus erga il-
lum odium, plurimasque odii causas in ejus animo coa-
luisse) Joannem Petrum Stellam Senatus scribam, qui
alias ad Maximilianum ventitaverat, eratque illi admo-
dum familiaris, secreto miserunt, ut illum quibuscunque
posset modis Senatui reconciliaret. Is cum ob nimium
conficiendæ rei studium immatura festinatione se apud Ma-
ximiliani familiares patefecisset, sic, ut ejus adventus Alo-
sii regis legatis, qui apud Maximilianum erant, celari
non potuerit, nulli reipublicæ usui fuit. Leonardus quo-
que Vicetinus, ex nobili Portorum gente, vir & clari in
bonarum artium disciplina nominis, & reipublicæ aman-
tissimus, magnis itineribus summa hyeme ad amicos suos
Maximiliani familiares, qui se ei obtulerant, a Senatu
missus, ut per illos regis animum leniret, nihil profuit.
Decemviri enim certas pacis conditiones, quæ ab illis pro-
ponebantur, quod ex reipublicæ dignitate non essent, re
inter ipsos agitata respuerunt. Quin etiam illud accidit:
nam quod erant Romæ duo reipublicæ legati, Joannes,
de quo dixi, Baduarius homo lenissimis omnino moribus,
& Georgius Pisanus morosi admodum ingenii; cum Julio
Centum cellas petente Pisanus in comitatu fuit, Badua-
rio Romæ ob valetudinem relicto. Ibi cum Julium tran-
quillo mari navicula exhilaratum, qua una ille re magnope-
re delectabatur, Pisanus de eo ipso reipublicæ in Flaminia
negotio alloqueretur: *Quin tu*, inquit Julius, *non cum Se-*
natu